

öffentlichung des Kataloges zu seinem Herbar,¹⁾ das er als Gymnasiast angelegt hatte, geschehen soll. Wir ersehen daraus, daß er nicht bloß selbst sammelte, sondern mit den Pflanzen auch Tauschhandel trieb und zugleich, wie weit es in der guten alten Zeit ein Gymnasiast mit einem Fachstudium bringen konnte.

Am Ende des Kataloges findet sich ein Verzeichnis von nicht gar häufig vorkommenden zum Teile seltenen Pflanzen — der Fundort derselben ist vom Herausgeber bei den einzelnen Pflanzen in der Anmerkung angegeben. Der Herausgeber hat den Katalog alphabetisch geordnet, orthographisch teilweise verbessert und — soweit tunlich — den einzelnen Pflanzen den Namen des Botanikers, nach dem sie benannt sind, beigegeben. Von den katalogisierten Pflanzen lassen nur wenige einen Zweifel über die richtige Bestimmung und Benennung übrig, sie werden mit ? bezeichnet.

(Schluß folgt im nächsten Jahrgange.)

Die Consuetudines Schyrenses.

Mitgeteilt von P. Stephan Kainz, O. S. B. in Scheyern.

(Fortsetzung zu H. II—III. 1903. S. 430—446.)

De officialibus septimanariis in tabula matricae
sive officiorum descriptis.

Et primo de ebdomadario sacerdote.

Ebdomadarius sacerdos est, qui cantat missam principalem in conventu et in choro officium semper incipit, capitula pronuntiat et collectas, antiphonas etiam ad psalmos in prima, tertia, sexta et nona imponit, collectas ad vespervas et ad laudes in XII lectionibus et infra octavas, quando officium canitur, semper supra analogio in medio chori legit, aliis autem diebus et ad reliquas horas semper in loco suo pronuntiat. Item versus Kyrie eleison in horis, Et ne nos, Carnis resurrectionem, preces excepto Confiteor et versu Adjutorium nostrum praecedente, et versum in fine: Et fidelium animae pronuntiat. In officio capitulari ea, quae ad ipsum pertinent pronuntiat, de quibus superius patuit. Dominico benedictionem super cocis post laudes et super lectorem mensae post benedictionem missae pronuntiat. Aquam et sal dominico die post laudes exorcisat et ad missam fratres aspergit. Benedicit mensam et dicit postea gratias ad sabbatum juxta rubricam inclusive, et hoc tamen, si ipse missam cantaverit. Si vero alius cantaverit

¹⁾ Der Katalog wurde dem Herausgeber i. J. 1856, als er sich ebenfalls mit Pflanzensammeln abgab, von Außerdorfer, weil er ein saubereres Duplet besaß, mit Belehrung über Sammeln und Fundorte geschenkt.

missam principalem ad ebdomadarium pertinentem, idem mensam benedicit, ita ut nullus, nisi qui missam eo die dixerit in refectorio mensam benedicit. Ebdomadarius collectas speciales in missa secundum praesidentis ordinationem imponit. In absen]f. 13 v. [tia ebdomadarii semper sacerdos inmediate in choro stans super eum vices suas supplet. Si autem ebdomadarius fuerit supremus, scilicet proximus post abbatem aut priorem tunc iunior in eodem choro, scilicet ultimum locum tenens inter sacerdotes, tenet ipsius vices. Ebdomadarius praecedentis septimanae semper cantat missam secundam, si habetur, etiam si abbas aut prior missam cantaverit principalem. Ebdomadarius et ministri ab hora inmediate missam sequentem sunt exempti, nisi placebo post nonam haberetur; tunc enim cum ceteris eidem debent interesse. Quod si quis ex eis indispositus aut impeditus fuerit, de licentia prioris alium ad expediendum officium suum petat. Ebdomadario in ebdomada sua nullum alium officium in tabula assignatur. Quod si cantor fuerit ebdomadarius, tunc eadem ebdomada succentor vices suas in cantoria supplebit.

De modo autem celebrandi missas et ceremoniis ad sacerdotem et ministros pertinentibus plenius habebitur infra circa processum missae.

De diacono.

Diaconus ministrat quottidie ad missam conventualem. Si sunt duae missae cantandae, diaconus praecedentis ebdomadae servit ad secundam. In sacra nocte dominicae nativitatis diaconus primus ministrat cum suo subdiacono ad primam¹⁾ in aurora. Item diaconus legit evangelium et ministrat in tunica dalmatica semper, quando est festum XII lectionum, similiter infra octavas vel quando missa aliqua sollempniter scilicet cum duobus ministris celebratur. De quibus ceremoniis clarius infra patebit. Alioquin induitur alba dumtaxat et stola in latere dextro, ut consuetum est, iuncta. Omnem cantum tam ipse quam subdiaconus cum presbytero legit. In festis XII lectionum et infra octavas tabulam pro pace danda presbytero porrigat, deinde dat subdiacono, subdiaconus acolito, acolitus deinceps ad chorum deportat.

De subdiacono.

Subdiaconus semper ministrat ad missam principalem praeterquam in festis trium lectionum aut feriis, de quo clarius infra circa processum missae patebit, legit epistolam, tenet patenam sub toallia in festis tantum duplicibus.

¹⁾ Am Rande steht eine verstümmelte Bemerkung.

De officio acoliti.

Acolitus, id est ceroferarius, omnes versiculos imponit exceptis, qui ad suffragia quae non cantata dicuntur, quos dicit ebdomadarius. Item acolitus omnia responsoria brevia solus aut cum socio scilicet in festis duplicibus cantat, similiter benedicamus in vespersis semper et laudibus solus aut cum secundo acolito cantat. In tribus lectionibus et in feriis invitatorium cum suo psalmo cantat aut legit in loco suo. Semper etiam lectionem brevem in matutino cum suo responsorio brevi pronuntiat. Item facit semper secundum signum ad chorum, similiter signum ad sextam vel nonam post agnus dei in missa. Facit etiam semper signum primum valde breviter in choro post finem operis dei ad mensam. Item signum ante inceptionem completorii pulsat scilicet campanellam parvam circa stallum prioris.] f. 14 r. [Infra Salve Regina, quod cantatur post completorium vel ante intrando completorium portat aquam benedictam, quam post signum, quem facit ad ave Maria, abbati cum osculo manus et priori aut alteri seniori inclinando ministrat, similiter sacerdoti dominico post laudes aquam et sal exorzizanti ministrat, et post aspergentem conventum ante missam aspersorium portat. Orationale semper debito tempore sub Magnificat aut Benedictus, quando dies exigit, ad analogium portat. Idem observat circa dominum abbatem praesentando ei libros necessarios. Gradale(?) pro missa cantanda super analogio ponit et finita missa ad archam reponit. Item ad evangelium in matutino cum acolito secundo tenet cereos et ibidem evangelium legenti cum collecta sequenti ostendit et stolam sacram praesentat. Si omelia aut lectio specialis pro lectione ultima in matutino occurrit legenda, hanc ipse debito tempore providens registrat. Librum etiam pro invitatorio in medio chori cantando ante matutini inchoationem ad pulpitem portat. In officio missae legit epistolam in suppellicio albo, capucio cucullae desuper integre exposito et hoc quando sub diaconus non ministrat. Si sunt plures missae cantandae, principalis missa spectat ad primum acolitum, secunda ad secundum. Si quando in missa occurrunt prophetiae una aut plures legendae, huiusmodi per seniores a priore incipiendo in solis floccis leguntur et acolitus ut supra epistolam legit, qua lecta exutus suppellicio redit ad chorum. In festivitatibus maioribus et in nonnullis aliis officiis ebdomadae maioris cereos tenent acoliti ad evangelium (in missa) praesente abbate in missa semper evangelii librum eidem deorsum ad chorum ad osculandum portat, similiter ut patuit supra tabulas pro pacis osculo. Si habetur thurificatio in missa, sicuti singulis diebus dominicis, festis duplicibus, et semiduplicibus acolitus debito tempore providet de prunis pro incenso et finito offertorio thuribulum cum incenso deorsum ad chorum portat et

primo ad abbatem, si praesens fuerit, trina vice ante eum ducendo, deinde in choro eiusdem per singulos fratres semel, ad priorem vero bis. Si abbas praesens non fuerit, primo transit ad chorum prioris, si sit praesens. Ad sanctus in missa campanellam ad elevationem pulsat et cereum debito tempore incendit et extinguit.

Officium candelarii.

Item candelas ad vesperas, ad matutinum, ad laudes et ad salve regina in completorio et in officio defunctorum tempore debito incendit et extinguit. Habet sub cura sua candelas pro choro necessarias, quarum reliquias finito officio colligit et servat. Lucernas finito completorio circa pulpita singulas aptat et candelas necessarias in ipsis ordinat, quas lucernas mane officio finito ad loca sua reponit. Lucernas pro legendis [f. 14 v. [lectionibus in matutino et cantando invitatoria, similiter circa pulpita pro psalmodia accendit. Omni sabbato accolitus exiens post refectionem lucernas chori singulas per se aut subsacristanum purgat et easdem intranti accolito cum clave candelarum mundatas resignat. In officio defunctorum, quando dicitur, imponit antiphonam ad Magnificat et ad Benedictus et lectiones in medio chori cum responsorio et versibus legit.

De cantoribus.

In quolibet choro sit unus cantor idoneus et continuus et sit utriusque cura permaxima, ut in omni divino cultu psalmodia et cantu modus et mensura debite serventur, altitudo quoque nimia et bassitudo vitentur, quatinus et inter psalmodiam indirectam et simplicem officii prolationem differentia apta habeatur. Sed et protractio excessiva aut nimia festinatio ne fiant, diligenter ipsi observent. Ad quorum etiam officium pertinet incipere et regere psalmodiam, ymnos et cantica, antiphonas post psalmodiam, responsoria longa et omnem reliquum cantum tam in horis quam in missa. Loca etiam deputata in choro semper habent, ut tam ab his qui supra quam ab eis qui infra eos stant fratribus possint, clarius audiri. Quae vero per illos chororum cantores propter eorum absentiam aut aliam rationabilem causam fieri commode non possunt, per ipsorum succentores expendantur.¹⁾

De coco ebdomadario et mandato fratrum in Sabbato.

Cocus regularis qui ingreditur et qui egreditur, una cum servitoribus intrante et exeunte secundum consuetudinem nostram infra quindenam semel sabbato videlicet, si festum non fuerit,

¹⁾ Am Rande der Zusatz: Praesidenti antiphonam ad (?) Magnificat et Benedictus... et indicat.

parant infra primam et secundam horas aquam calidam et aptant vasa et pannos necessarios, quae sub dispensatoris sunt cura, paratisque omnibus circa horam secundam cocus intrans sonat nolam sicut ad mensam fieri solet et ordinatis in refectorio pro pedum lotionem omnibus necessariis praesidens stans in loco suo dicit indirectum antiphonas subscriptas. Ant. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Ant. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Quibus dictis praesidens in scampno ante mensam abbatis aptato solus, reliqui autem in choris suis e regione ante mensas in scampnis dispositis sedent. Tunc coci induti scapularibus et de super praecincti lintheis et assumptis pannis pro tergendis pedibus necessariis, cocus intrans cum servitore intrante flexis utrisque genibus lavant praesidentem, cocus tergit et servitor a sinistris aquam deportat et apportat, cocus exiens et servitor exiens lavant in alio choro modo iam dicto, et semper post lotionem terso primo pede dextro, cocus prior praemisso signo crucis manu super pedem osculatur eundem, deinde servitor et lotus respondet: Deo gratias. Deinde asportatur aqua et interim tergitur pes alter, quem similiter osculatur. In fine lavantur et ipsi inter se intrantes primo ab egredientibus et e converso.] f. 15 r. [Si fuerint lavandi multi aut lavantes senes aut debiles, iuxta prioris dispositionem de junioribus et fortioribus eis adiutoria fiunt, a quibus etiam infra lotionem aqua immunda effunditur; lotis autem omnibus fratribus facto signo surgunt et stantibus e regione praesidens dicit indirectum. *V.* Congregasti nos Christe ad glorificandum te ipsum. Et conventus respondet: Reple animas nostras tuo sancto spiritu, Gloria Patri, sicut erat etc. Praesidens dicit: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster secreto. Et ne nos. *V.* Salvos fac servos tuos, deus meus sperantes in te. *V.* Mitte nobis auxilium de sancto, Et de Syon tuere nos. *V.* Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus: Omnipotens sempiternus Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus habundare, per eundem Christum D. n. B. Amen. Coci vero et servitores se mutuo iuvantes lavant linthea et pannos, quibus sunt usi, et ea cum vasis resignant dispensatori.

De coci regularis benedictione.

Cocus egrediens secundum regulam dominico die post laudes, priusquam dicitur versus: Et fidelium dicit in medio chori submissa voce et cum accentu ter versus istum: *V.* Benedictus es domine deus, qui adiuvisti me et consolatus es me, et quando primo dixerit, vertit se girando ad omnes cum inclinatione profunda. Deinde dicit secundo et tertio semper choro totum versus

repetente et post hoc flectit. Tunc sacerdos dicit: *Ÿ*. *Salvum fac servum tuum.* Chorus: *Deus meus sperantes in te.* *Ÿ*. *Convertere Domine usquequo* *R.* *Et deprecabilis esto super servum tuum.* *Ÿ*. *Dominus vobiscum. Oremus. Concede, quaesumus omnipotens deus, ut huic famulo tuo pro expleto servitio tuo merces tribuatur aeterna, per Christum D. n. R. Amen.* Quo dicto cocus surgens redit ad locum suum. Deinde cocus ingrediens subsequens dicit hunc versum: *Deus in adiutorium meum intende, domine ad adjuvandum me festina, eodem modo quo supra, et ebdomadarius dicit: Ÿ. Salvum fac servum tuum. Ÿ. Mitte ei auxilium de sancto. R. Et de Syon tuere eum. Ÿ. Dominus vobiscum. Oremus. Concede, quaesumus omnipotens deus, ut hic famulus tuus susceptum officium mente devota perficiat. Per Chr. D. n. R. Amen.* Quo perdicto vadit ad locum suum.

De lectore ad mensam.

Lector mensae dominica post benedictionem datam in missa, in medio chori benedictionem petens tertio secundum regulam dicit versum: *Domine labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam, per omnia ut cocus.* Tunc sacerdos in dextra cornu altaris dicit: *Ÿ. Salvum fac servum tuum* Chorus. *R. Deus meus, sperantem in te. Ÿ. Mittat tibi Dominus auxilium de sancto. R. Et de Syon tueatur te. Ÿ. Dominus custodiat te ab omni malo. R. Custodiat animam tuam Dominus.* Deinde absolute sine oremus sacerdos dicit. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum et auferat a te spiritum elationis. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum.*] f. 15 v.] *R. Amen.* Et surgens lector vadit ad disponendum se ad lectionem.

De Mixto.

Si pro mixto aliud praeter panem et vinum sumere cupit, praesertim diebus ieiunii regularis, licentiam petat. Idem et servitores facere possunt. Manducat postea lector cum servitoribus, semper lectionem habeant ad minus in principio, medio et in fine mensae de aliquo libello manuali, ne codices maculentur. Nichil autem ibi legat vel interpretetur in vulgari, ne detur occasio solvendi silentium. Lector et servitores ab hora canonica inmediate refectionem primam praecedente sunt exempti nisi, placebo ante mensam habeatur, ad cuius usque inceptionem tunc in choro manent. Tempore aestivo exempti sunt a nona, si dormire tunc volunt; quod si dormire noluerint, vadunt cum ceteris ad chorum. Quando habetur coena post vespervas, tunc post Magnificat aut sub psalmo Laudate Dominum de coelis, si habetur officium defunctorum, exire possunt de choro. Lector septimanae praecedentis legit martirologium in capitulo, similiter lectionem ad collationem.

Lector et servitores ac alii officiales in tabula descripti absque speciali prioris licentia nullum pro expediendo suo officio debent subordinare, sicut supra patuit de ebdomadario.

De emendatore lectoris mensae et eius officio.

Corrector vel emendator lectoris frater idoneus habeatur, qui locum prope eum teneat et errantem emendet, qui a servitio mensae, si pluralitas personarum admittat, habeatur exemptus; absque cuius aut praesidentis signo nullus legentium eandem sententiam repetere praesumat neque praeter illum aut praesidentem aliquis alius lectorem signo qualicumque aut musitatione corrigere audeat vel emendare. Ad cuius correctoris signum lector in initio mensae propter strepitus et infra mensam semel aut pluries pausare debet. Legatur ad mensam de biblia, de sermonibus sanctorum patrum et omeliis, de moralibus Gregorii Papae et aliis doctorum tractatibus et scriptis iuxta praesidentis dispositionem et secundum temporum et festorum qualitatem. Praeterea correctori specialiter incumbit libros corrigere et ad ipsum fratres ex parte lectionum possunt habere recursum. Bibliothecae insuper singularem curam debet habere et claves ad eandem nec extraneo cuiquam libros absque scitu prioris accomodare praesumat. Nemi denique unquam libri monasterii concedantur, nisi aequivalentes aut meliores vel certe vadium competens in loco ipsorum reponantur.

De mensae servitoribus et disciplina ibidem servanda.

Ad mensam expleto opere dei facto per acolitum in ecclesia brevissimo signo, de quo supra, et intervallo competenti servato, cum iam maior pars conventus ad refectorium convenerit, servitor principalis in coquina requirat, si cuncta sint parata, et tunc primum signum ad nolam facit ter percutiendo; quo signo facto fratres singuli studeant stare in locis suis tecti, versis vultibus ad crucifixum. Et data hospitibus aqua, si qui praesentes fuerint, et in locis suis collocatis] f. 16 r. [ad signum praesidentis secundum signum fiat ad nolam. Quo facto cum parva campanella in refectorio fiat signum et stantibus fratribus cunctis e regione benedicatur mensa iuxta rubricam inferius descriptam. Finita benedictione singuli sedent ad loca sua nec quidquam ibi attingere de appositis praesumant usque ad signum praesidentis praeter vasa pro infundendo vinum. Servitor autem paratus ad serviendum indutus scapulari propter vestium munditiam lintheolo albo se praecingat neque in pellicis nudis aut filtratis calceis ibi ministrare audeat. Cibos primos, postquam signum factum fuerit per praesidentem, anteponat. Numerum quoque fratrum infra mensae benedictionem coco significet et ne ipsius negligentia fratribus aliqua

necessariorum desint, priusquam servitor signum aliquod fecerit, provideat diligenter, si pro refectioe ministris quaelibet communiter necessaria singulis sint apposita. Quod si aliquis in horum aliquo etiam quamvis parvo aut modico defectum habet, ipse servitor publice sicut et pro aliis negligentis et strepitibus, si quos committit, mox veniam petat in matta. Singuli etiam fratres in mensa iuxta regulam disciplinam observent, nullusque ibi plene discoopertus appareat; quod si quis patiaturo calores, potest aliquatiter medie discooperire. Nemo denique de sibi singulis appositis excepto praesidente vicino sibi aut alteri aliquid audeat impertiri. A servitoribus post apportationem tertii cibarii primae scutellae leventur ac deinde tempore suo secundae, ultimas vero scutellas nullus levet nisi post signum ei factum per praesidentem. Servitor primo portat cibos pro mensa domini abbatis et sequentibus in eodem latere, deinde ad mensam alterius lateris. Si frater aliquis in terra manducat, huic cibaria non suo ordine inter ceteros, sed post alios iuxta praesidentis arbitrium ministrantur. De numero autem et qualitate ferculorum tam in diebus binae quam unicae refectiois ex regula et carta clare habetur, quam regulae et cartae ordinationem in practica observamus etiam quantum ad eos, quos ieiunii regularis tempore ex causa et licentia, ut iuvenes vel senes, aegrotantes quandoque bis manducare contingit. Servitores infra mensas sedere possunt, dummodo eis vacat. Fratres reficientes scutellas, ex quibus manducaverunt aut abstinere volunt ex toto, a se statim amoveant, quatenus a praesidente valeant videri. Tempus insuper sufficiens fratribus pro sumendis cibis indulgeatur. Post ultimae scutellae et coclearium levationem servitor cum sporta aut scaffa deputata stat in medio ante crucifixum et facto signo per praesidentem lector legere cessat, et postquam remanentias panum levaverit, tunc in medio refectorii servitor profunde inclinatur ad crucifixum dumtaxat, ad cuius inclinationem conventus re-inclinatur. Et facto signo per praesidentem lector surgens dicit: Tu autem Domine etc. Et postquam conventus Deo gratias sedendo responderit, surgitur a mensa. Et stantibus cunctis in locis suis e regione ante mensas dicuntur ea, quae secundum rubricam sunt dicenda. Ad coenam de sero semper Gratias ex integro dicitur in refectorio. In prima autem¹⁾] f. 16 v. [refectioe, sola vigilia Paschae excepta, semper post inceptionem psalmi transitur ad chorum, ubi finitis gratiis fratres cum silentio vadunt ad cellas. Servitores mensae in cucullis suis cum lectore manducant, et post simul dictis gratiis ad cellas transeunt. Si pro tempore hospites ad refectorium invitantur, locantur secundum condiciones suas.

¹⁾ Am Rande unten steht noch: Item de remanentiis ciborum servitor nichil det ad coquinam sine speciali licentia, sed reponantur in refectorio in locum consuetum.

Si hospes est abbas, praelatus, doctor aut multum ingenuus, post abbatem locatur, ceteri autem, priores, decani, magistri simplices aut canonici, post priorem. Sed si hospes est episcopus aut princeps, ponitur in loco abbatis et abbas sedet post eum. In fine mensae post gratias cum psalmo exeuntibus, prior aut abbas, si persona est insignis aut multum notabilis, dicto cum eis aut in ipsorum praesentia gratias in refectorio cum uno aut pluribus de fratribus ducit eos ad lavandum manus et postea ad locum suum.

De lectione regulari.

Lectionem regularem ante aut post refectionem, ut supra notatum est, habemus non in ambitu, sed singulatim in cellis, nisi forte tempore hyemali quis legere velit in refectorio aut stuba communi, qua lectionis hora vela a singulis cellis amoventur, ut prior aut cui commissum fuerit, clare videre possit, si fratres legant aut aliis intendant. Quod si pro tempore praedictis horis lectio haberi non possit, nichilominus horis aliis et temporibus pro posse non est obmittenda.

De labore manuum post refectionem quotidie.

Si est aliquis labor pro manibus, prior aut suprior in eius absentia hora laboris, de qua supra ab initio habetur, convocat fratres per signum campanellae in dormitorio pendentis ante cellam suam aut ad alium locum convenientem, et ibi dicto pater noster inclinando dicitur Versus: Et ne nos. Adiutorium nostrum. *V.* Dominus vobiscum. Oremus. Actiones nostras, quaesumus domine, aspirando praeveni et adiuvando proseguere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum dominum nostrum. *B.* Amen. Postea dicit fratribus, quid aut ubi sit laborandum. In quo etiam labore servanda est disciplina cum silentio pro posse. Qui vero ad orationem post signum factum non occurrerit, ut cum ceteris pariter oret, mane sequenti suae morae aut negligentiae culpam dicit. Completo labore, qui regulariter ad unam horam durat, ad iussum praesidentis singuli ad loca sua vadunt.

De potu, qui datur tempore aestivali ante vespas.

A Pascha usque ad festum Exaltationis sanctae Crucis diebus binae refectionis hora secunda post meridiem qui bibere cupiunt, veniunt ad refectorium et servitor sicut ad mensam signis duobus ad nolam sedentibus fratribus, servitor tenens in manu cantrum cum vino petita benedictione, sicut solitum est fieri in collatione, singulis fit semel dumtaxat ad biberes infusio et facto brevissimo intervallo, quo bibere possunt, dato super mensam signo per seniorem vadunt singuli ad loca sua.

(Materia incoepa a. seq. porro tract. et absolvitur.)